

AVANT et APRES la MESSE



*(Préparation et action de grâces
selon la méthode des quatre fins.)*

ANTE MISSAM

(Feria Secunda)

I. — Adoratio.

Ingrediar ad Te qui habitas in tabernaculo; comedam in lætitia panem meum et bibam cum gaudio vinum meum

Egrediar et stabo in monte coram te, Domine: et ecce tu transis et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras ante Te. Ad locum quem elegeris Domine Deus, de cunctis tribubus nostris ut ponas nomen tuum ibi et habites in eo, veniemus et offeremus in loco illo holocausta et victimas nostras. Et comedemus ibi in conspectu tuo ac lætabimur in cunctis ad quæ miserimus manus, nos et domus nostræ.

Omnis qui habuerit maculam non accedet offerre tibi hostias nec panes. Quicumque manducaverit panem vel biberit calicem tuum indigne reus erit corporis et sanguinis tui.

Videbo visionem hanc magnam, solvam calceamentum de pedibus meis; locus enim in quo sto, terra sancta est. Confirma me, Domine, et respice in hac hora et quod per te fiet perficiam.

II. — Gratiarum actio.

Ego igitur quomodo ad Te intrare potero? Comedam panem in mensa tua! Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? Magna potentia tibi et ab humilibus honoratur. Altiora me non quæram et fortiora me non scrutabor, sed quæ præcipisti mihi Deus, illa cogitabo semper. Sed unde hoc mihi ut in-